

1473 versi , arcibus fidos sibi viros , & sceleris consciós præficiunt .

1474 Affuit interim Coriolanus , qui , dissimulata injuria , nunciat Reginæ , compertum Venetis esse , Ægyptiorum Regem Carlotæ Cypri regnum promisisse : præmissum itaque se ab classis imperatore , ut ipsi & Cypriis nunciaret , ut bono animo essent : adventare Superantium legatum cum octo triremibus , ac brevi post Mocenicum ipsum cum reliqua classe affuturum : paratos esse Venetos Reginam , & puerum ex ea natum , cum toto regno ab omni externa injuria tueri . Ad eum nuncium Regina cum omnibus bonis in spem erecta est . Conjurati contra , suis vehementer rebus timere cœperunt . Quarto inde die legatus affuit : sub cuius appulsum duo ex conjuratis , accepta fide , ad eum venerunt : hi multa de iis quæ acciderant locuti , culpam cædis in unius Cornarii avaritiam rejicientes , pollicentur se & alios omnes in pristina fide mansuros , nec se antiquius quicquam habituros , quam ut Venetam omni tempore colant amicitiam . Superantius , et si videbat insulanorum verba factis non respondere , tentavit tamen eos ad sanitatem retrahere , affirmans fore , ut Veneti nominis non amici tantum , sed amicissimi crederentur , si arces & vectigalia Reginæ continuo restituerent . Nam quod ad Cornariam cædem attineret , eam injuriam privatam non publicam esse , dicere . Irent igitur , & ea ratione suum in Venetos studium probarent . Promiserunt illi secundum legati postulata se facturos : sed quum alia atque alia causantibus , ludificationem eam esse apparuit , tum Superantius & ad imperatorem & ad Senatum scripsit , Reginam nefaria paucorum conspiratione cum filio oppressam , ac nisi mature subveniatur , fore ut brevi post & regno & regio nomine spoliaretur . Venerat interim ad Mocenicum conjuratorum orator : quo amarissimis verbis increpito , ac sine spe ulla pacis misso , ipse periculo rei motus , et si Triadanum Grittum sibi successorem designatum sciebat , haud tamen in re tam atroci desidendum ratus , septem triremibus quæ ad Syriacam & Alexandrinam negotiatio-

nem